



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 44. Pontifices Sermones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

deinde Eboracensi annos prope quadraginta præfuit.

Sæcul. XIII.

A.C. 1215.

§. XLIV.

Pontificis Sermones.

Concilium ergo Romæ in Ecclesia Patriarchali Lateranensi, alio nomine, Basilica Constantini, a die S. Martini, undecima Novembris, anno millesimo ducentesimo decimo quinto, usque ad Festum S. Andreæ diem ejusdem Mensis ultimam celebratum. Initium dedit Innocentius Pontifex, pronuncians Orationem, cui materiam delegit illa Scripturæ verba: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Tum explicans vocem *Pascha*, quæ Transitum significat, triplicis generis distinguit transitum, nempe corporeum de uno loco in alium, qualem esse dicit Crucigerorum profectionem in Terram sanctam. Transitum spiritualement ab uno statu ad alium per Reformationem Ecclesiæ, & Transitum ad æternitatem, videlicet ex hac vita ad cœlestem gloriam. In hoc triplici transitu totum versatur sermonis argumentum; atque de primo disserens ait Pontifex: *En me! Fratres mei carissimi, totum me vestris relinquero consiliis, nulla in me mora est, si id vobis probatur, Reges, Principes, populos ipse adibo, experiar, an Fideles meo*

Sæcul. XIII. *meo clamore excitare valeam ad pugnam*
A. C. 1215. *dum pro Domino, & ulciscendum inju-*
riam Crucifixi, propter peccata nostra
ejecti de terra sua & habitatione sua,
quam acquisivit sanguine suo, & ubi con-
sta Redemtionis nostræ Mystera explevit.
 Occasione Transitus spiritualis Pontifex
 de Reformatione Ecclesiæ verba facit,
 sed generatim, nullo vitio nominato, ita
 ut nec utile nec dulce afferre videatur.
 Sæpissime adhibet auctoritatem Sacra
 Scripturæ, in sensu Allegorico, vel detor-
 to acceptæ. Alio quoque tempore pu-
 blice dixit Papa, ut conjicere est, sub si-
 nem Concilii, estque oratio illa exhor-
 tatio ad emendandos mores, & ejusdem
 ac prius memorata, pretii.

§. XLV.

Decreta de Fide.

10. 11. Conc.
p. 142.

Quæ authentica de Concilii Latera-
 nensis Actis ad nos pervenerunt,
 sunt ejus Decreta, Capitula septuaginta,
 seu Canones complectentia, quos Con-
 stitutio specialis de Expeditione pro re-
 cuperanda Terra sancta sequitur. Om-
 nia etiam in linguam Græcam in gra-
 tiam Græcorum, Ecclesiæ Romanæ uni-
 torum, translata sunt. Capitulum pri-
 mum est Fidei Catholicæ expositio, Hæ-
 reticorum illius ævi, scilicet Albigensium
 & Waldensium, erroribus opposita.